

Mayence, 7 Octobre 1601.

/ Posteaquam Jure civitatis Dei donatus sum, Ill^{me} et R^{me} D^{ne} nil
 majori cura ennitendum putavi, quam ut pomoeria ejus quaqua possem,
 dilatarem, hostesque ipsius festino cursu ad interitum properan-
 tes, ab execrabili insania revocarem. Quamobrem cum ipsa experien-
 5 tia nossem, inter Calvinianae haereseos sustentacula duo insignio-
 ra esse, quibus plerique omnes sive in Germania, sive in Belgio suos
 concipiant, foveant, protegant, et ad posteritatem propagent errores:
 Johannis Calvini Institutionem, et Zachariae Ursini Explicationes
 Catecheticas: cogitare jamdudum coepi, quomodo ista fulcra incidi,
 10 et ad perfidiae defensionem inutilia reddi possint. Cogitationem
 isthanc auxit negotii perficiendi facilitas. Cum enim a doctissi-
 mis viris nunc instructa sit catholica Ecclesia, ut non unos tantum
 Calvinos aut Ursinos, sed integras bestiarum hujusmodi turmas pro-
 sternere, ac si committantur, ad interneccionem delere queant, quid
 15 laboris restet in duobus, summis quidem illis, sed tamen haereticis
 Deique armatura inferioribus, et ad omnem ictum nudis? Sed quia
 multum interest, quo quidque modo, quo duce et auspice geratur, de-
 liberandum censui, cui potissimum hae partes demandarentur. Ac de
 Ursino quidem res expedita est, si vel nostratium aliquis cum eo in
 20 arenam descendat. De Calvino autem gravior labor, cui non sollicite
 mecum cogito, quem potissimum Antagonistam optem, te unum invenio,
 Ill^{me} D^{ne}, omnium aptissimum: cujus laus et fama toto orbe percre-
 brescens, apud ipsos quoque haereticos tantam existimationem digni-
 tatemque consecuta est, ut vel sola nominis tui illecebra ad emen-
 25 dum legendumque incitari soleant. Quamobrem si a gravissimis occu-
 pationibus tuis tantum subsecivi temporis decerpere licebit, persua-
 deas tibi velim, nullum excellentius, nullum fructuosius, magisque
 Christianae Reipublicae necessarium a te opus elucubrari posse. Erit
 nempe haec felix Disputationum tuarum coronis, quosque illis tanquam
 30 arietibus convulsisti, hoc quasi Herculeo telo obtruncabis, ne ulla
 repullulascere usquam hydra possit. Macte virtute, divine vir, in or-
 be celebraris: catholici te conditorem antiquae rursus fidei veneran-
 tur atque suspiciunt, et quod majoris gloriae est, omnes haeretici
 detestantur, meque pari persequuntur odio, qui contra stantes ventos
 35 ardore fidei perstiti, maluique, quantum Dominus gratiae dedit, solu
 liberari de Sodomis, quam cum pereuntibus commorari. Mogunt. Nonis
 Octobr. MDCI.